Lingua Magahi

Lingua Magahi मगही	
Taxinomia:	Lingua Neoindica e divisione Indoiranica familiae Indoeuropaeae
Locutores:	13 000 000[1]
Sigla:	1 bh, 2 mag, 3 mag
Status publicus	
Officialis	
Privata	India
Litterae:	Traditio Magahi
Scriptura:	Devanagari et olim Kaithi
Procuratio:	

Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Linguae Indicae praecipuae

Lingua Magahi (*Magahī*) ad Linguas Indicas e divisione Indoiranica familiae Indoeuropaeae pertinet; interdum in lingua Bihari et in regione linguistica Hindi numeratur. In India adhibetur ad meridionalem civitatis Bihar partem, iuxta urbes Patna et Gaya, et in nova civitate Jharkhand, ubi dialectus orientalis seu *Pañcaparganiyā* adhibetur; dialecti aliae, borealis, centralis, australis etiam recognoscuntur. Nomen habet e regione respectiva, Sanscrite *Magadha* appellata; ibi ante duo milia annorum populus dialecto Pracritica Magadhi usus est, cuius progenies hodierna est series linguarum lingua Bihari (inter quas Magahi), Orissensis, Bengalica, Assamica. Iam in dialecto antiqua Magadhi vox Sanscrita *dh* in *h* mutatur, e qua re nomen hodiernum sermonis eiusdem regionis *Magahī* defluit. Scriptura hodie Devanagari adhibetur, olim Kaithi, sed litteratura Magahi fere nulla recognoscitur; qui hoc sermone utuntur verba Hindi in colloquiis saepius includunt et fere semper in lingua Hindi scribunt. Sunt autem carmina popularia permulta.


Templum Visnupadh in urbe Gaya regionis Bihar

Notae

1. Ethnologue (http://www.ethnologue.com/show_language.asp?code=mag) "anno 2002"

Nexus externi

- De hac lingua (http://www.ethnologue.com/show_language.asp?code=mag) apud *Ethnologue*
- Situs locutorum (http://llmap.org/languages/mag/static_map.html) apud *Linguist List*
- Magadhi (http://www.rosettaproject.org/archive/mag) apud *Rosetta Project*
- Bibliographia huius linguae (http://www.southasiabibliography.de/Bibliography/Indo-European/Magahi/magahi.html)

Bibliographia

- "Magahi" in Andrew Dalby, *Dictionary of Languages* (ed. recensa: Londinii: Bloomsbury, 2004. ISBN 0747576831) p. 381
- Maitra Asim, *Magahi Culture*. Novi Dellii: Cosmo Publications, 1983